Copia listu JKM.ci do JM.ci X.iędza Nunciusza

Tandem Divina clementia armis Christianis dum hodierna die novam eadem largita est victoriam, eamq; tantam ut quamvis illa Viennensis longe fuerit celebrior haec tamen hosti Christiani nominis magis cruenta. Inter praecipua habuimus vota Pontem ad Strigonium quam totis occupare veluti grande rebus nostris momentum dum cor„respondentia inter novas Arces aliaq; fortalicia hac ratione impedi„rent. Quo postquam nostro cum exercitu propius nudius tertius accederemus maiori numero quam edocti eramus hostem adesse cognovimus. Hic aliquo contra Avangardiam nostram habito successu Vesirio non procul inde distanti rem significavit a quo bini ad huc suis cum copijs missi adiuncti sunt Bassae ijs cum Mandatis ut nostra aggrederentur castra. Praevenimus vero ipsos et in campum eggressos prospero marte invasimus unoq; detru„bavimus impetu. Octo erant Bassae ex quibus duos habemus vivos. Alterum Silistriae qui unus est ex septem Vesiriis, alterum Aleppi. Duo alteri adhuc inter captivos latitant, caeteri interfecti creduntur. Tam validus exercitus e campo refugus angustijs exigui loci Parkan dicti sese includere ibidemq; subsistere volebat nobis vero vestigia ipsorum prementibus per pontem sese sub fortalicium recipere conabantur quem dum tumultuarie invaderent ruim perunt tum demum pluribusq; invasit terror ut abiectis vestibus natando tam prolixum fluvium superare ad laborarent quod tamen feliciter rarissime cuiquam contigit. Spectaculum erat imaginenter supremi iudicij referens tot nudos videre homines, qui a pedes„tri militia nostra ex clopeis tormentisq; grandine globorum eorum praesertim (qui militari vocabulo cartaginiae vocantur) horrendum in modum mactabantur, ita ut absq; methaphora dici possint Danubium sanguine erubuisse atq; Vesirio de clade suorum Budam usq; nuncium detulisse. Omnes enim caesi in fluvium labebantur, reliqui in valle et oppido ultro sese dediderant. Inter quos multi decore et spectabili vultu ut facile flos Turcicae militiae credi possit e diversis regionibus hinc usq; ad Arabiam felicem lecti. Omnia haec quinq; horarum spatio acta sunt

Turca cum

Turcae cumque extracti fusi, alij mersi. Fortalitiũ et oppidũ expugnatũ et hac parte
Danubij Parcan dictũ, inque hostem diruimus his proinde tam prospere Cuenientibus
instandũ omnino est designationibus nostris. Dat. in castris nostris ad Danubium
e Regione Strigonij die 9 mensis 8bris Aº 1683 Joannes Rex

Copia Literarum ad Serenissimũ Regem Galliarum scriptarum,
Serenissimi Regis Poloniae victoriae quam Christiani exercitus 12 7bris
Deo auspice de Haereditarijs Stae fidei hostibus reportarunt liberataque
Viennae cum iam audemus Felicitas ad neminem magis quam ad Christianũ
Regem pertinere videtur cui dum Superi secunda gaudia dederunt Terra marique
contra hunc communem Stae crucis hostem, nobis ad futurũ, vastataque illa re-
gna recuperaturũ non dubitamus in quibus trita maiorũ et Serenissimorum
antecessorum suorum inveniemus vestigia. Optimam iterum Mti Vrae
Salutem Joannes Rex.